



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Controversiae Ecclesiastico-Historicae**

**Casteel, Gerard**

**Coloniae Agrippinae, 1734**

**VD18 10739254**

Controverisa XIX. De Excommunicatione Victoris Papæ in Asianos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

# CONTROVERSIA XIX.

DE

## *Excommunicatione Victoris Papae in Asianos.*

**C**atholica Ecclesia, altero pene saeculo jam adulta, & merito crescebat & numero, quando collisis visceribus ob celebrandum Festum Paschatis vehementer concuti cepit; quod prolixè satis enarrat Eusebius *Lib. 5. H. E.* Omnes quippe Asiatici, ab antiquo edocti, in more habebant, ut illud solemne Festum peragerent decimâ quartâ Lunâ post æquinoctium vernum, quocumque die in hebdomade occurreret.

Ex adverso Festum illud die Dominica sequenti, ob honorem resurrectionis Christi Domini nostri, Occidentalis celebrandum duxit Ecclesia universa. Utraque pars traditionem Apostolicam præseferbat. Romani quidem ostendebant suam derivari observantiam ex instituto SS. Apostolorum Petri & Pauli. In Asia autem à S. Joanne Apostolo & Evangelista ad sua tempora deductam disciplinam obmovebat Polycrates Episcopus Ephesinus *Epist. ad Vict.* in qua & Philippum Diaconum, Polycarpum, Thra-

seam, Sagarim, Papyrium, Melitonem Episcopos in confirmationem inoliti moris allegabat. Isti omnes, ut loquitur, diem Paschalis decimâ quartâ die Lunæ ex Evangelii præscripto observant, nihil ab eo instituto ac more plane digressi: sed secundum regulam ac normam fidei cum assiduitate tenuerunt.

Qui saeculo II. per Blastum quendam, Valentini Hæresarchæ discipulum, ab Eleutherio Papa Sacerdotio depositum, & à S. Irenæo oppugnatum seducti *Tessaresdecimâ Quartodecimani*, seu *Paschatitæ* sunt appellati (de his Tertullianus *de præscript. Epiphanius her. 50.* Augustin. *her. 29.* Baron. *Annal. ad A. C. 198.*) tanquam hæretici fuerunt proscripti, quod pertinaciter traderent, erroneum esse alia die, quam Lunâ decimâ quartâ Pascha celebrare. Hæc interim inter Romanos & Asiaticos Catholicos primis temporibus de celebrando Paschate exorta opinionum diversitas nequaquam cœvit animorum discordiam: sed, ut idem S. Irenæus ad eundem Victorem memorat, pa-

em & concordiam inter se perpetuò retinuerunt. Imò, dum sub Imp. Marco Aurelio Antonino, quemadmodum vult Baronius *Annal. ad an. C. 176.* aut sub Antonino Pio, ut videtur Valesio, Pagio, &c. Polycarpus Smirnâ Romam concedens cum Aniceto P. M. sive ad hoc dissidium componendum, ut eidem Cardinali placet, sive ad negotia quædam minoris momenti tractanda; in quibus minimè conveniebant, non posset Pontifici persuadere, quod de celebrando Paschatis die sentiebat, charitatis vincula non sunt soluta: quin potius Anicetus, ob viri, canitie venerandi, auctoritatem, quæ, ut Cicero ait, apex est senectutis, placidè condescendit, ut Pascha juxta morem celebraret, quo factum ut in pace ab invicem discederent, omnesque Ecclesiæ eorum, qui decimâ quartâ Lunâ & qui secus celebrarent Pascha in tranquillitate permanerent: quo ad usque anno 196. juxta Chronologiam Baronii & Pagii, aut paulò ante Victor, quinto Pontificatus sui anno in Eusebii opinione, variis indictis, celebratiffique Conciliis in Palæstina, Romæ, in Gallia, in Osdroene Provincia, Corinthi, in quibus de celebrando Paschate disciplina statuatur, molitus est Asianos compellere, ut in suam irent sententiam: voluitque, statuta lege, ab omnibus fidelibus deinceps Dominica die post æquinoctium vernalis Pascha celebrari.

Interea cum Episcopus, quos eodem urgente Pontifice, convocaverat Polycrates, experiretur, pristinae suæ, posthabita lege, inherere sententiæ, illos censuris compellendos arbitratus fuit. An autem re ipsa Victor Asianos excommunicaverit multum disceptationis habet. Inficiatur Henricus Valesius Historicus Regius in *not. ad Euseb. ad hæret. Collegæ suo Ludovicus Maimbourg.* Negativam quoque sententiam propugnat Nat. Alexander H. E. *Sac. II. Dissert. 2.* Cortadius hanc Controversiam tractat Halloixius

in *not. ad vit. S. Irenæi*, ubi Ecclesias Asiaticas ob innocentiam suam ab excommunicationis fulmine illas statuit, & Irenæi Episcopi Lugdunensis generositate collaudat, quod Victorem reprehenderit. Ab aliis quoque satis plausibiliter hæc opinio defenditur his innixa fundamentis.

I. Victor Pontifex intra minas solum hæsit, quibus perterrere voluit Asianos, suæ legi, de celebrando Dominica die Paschatis Festo, sese submittere detrectantes. Id apertè testatur Eusebius H. E. *cap. 24.* Ubi legitur. *His rebus adductus Victor, qui, dum Romæ Ecclesiæ præerat, totius Asia Ecclesias cum aliis finitimis, tanquam alterius fidei & opinionis simul omnes (ut complector brevi) a communi unitate Ecclesiæ amputare conatur.* Itaque necdum à communionem illos latâ sententiâ præcidit, neque præcisos ullibi Eusebius prodit. Ab hoc non discrepat Hieronymus, qui *Lib. de Script. Eccles. cap. 44. in Iren.* scribit. *Feruntur & alia illius ad Victorem Episcopum Romanum Epistola de questione Pascha, in quibus commonet, non facile debere unitatem Collegii scindere: siquidem Victor multos Asia & Orientis Episcopos, qui Lunâ decimâ quartâ cum Judæis Pascha celebrabant, damnandos crediderat.* Damnatos fuisse utique retulisset, si Victor ultra minas processisset. Fuit proinde Pontificis edictum velut parænesis obedientiæ præstandæ, quod vulgo *Monitorium* vocatur. Favet huic quoque opinioni Photius in *Bibl. Cod. 120.* sic referens.

*Victor ea tempestate Romanum Pontificatum tenuit, quem crebris literis est hortatus Irenæus, ne ob Paschatis dissonantiam ab Ecclesia aliquos abdicaret.* Licet idem conjicere ex Epistola Polycratis Synodica, in qua scribit. *Ego vero Fratres quinque & sexaginta annos natus in Domino, qui cum tot fratribus in toto orbe dispersis Sermones sæpè contuli, qui Scripturam Sacram omnem perlegi, nihil moveor iis, qua nobis ad formidinem*

*nem intentantur.* Fuisset autem Polycrates & alii vehementer permoti atque turbati; si Pontifex minis ad effectum usque perductis fulmen excommunicationis in ipsos vibrasset: præsertim quod, juxta S. Gregorium in *Reg.* sententia excommunicationis Pastoris sive justa, sive injusta metuenda sit.

II. Epistolæ tum Irenæi tum aliorum Episcoporum ad Victorem satis arguunt, rem adhuc in pendente fuisse: nec damnationis sententiam à Victore in Asianos fuisse prolata. Hæc enim de Irenæo narrat Eusebius ubi supra. *Victorem decenter admonet, ne integras Dei Ecclesias, morem sibi à majoribus traditum custodientes à communione abscindat.*

Nondum ergo, subinfert Valeus, Ecclesiam Asiæ à communione Victor absciderat, cum has literas scriberet Irenæus? Quandoquidem Victorem prudens Episcopus his hortaretur literis, ne illos ob aviti moris obsequiantiam à totius Ecclesiæ corpore se jungeret velit. Sejunctos hac de causa non fuisse unquam ex Firmiliani Epistola ad Cyprianum in comperto habetur. Qui observat, licet propter celebrandos dies Paschæ aliæque divina quædam exorta fuisset diversitas, non tamen ob hoc ab Ecclesiæ Catholice veritate & pace aliquando discessum. Proinde certum esse inquit Honoratus à S. Maria Reflex. tom. 1. diff. 2. act. 3. quod Papa Victor non declaraverit Asiaticos excommunicatos.

In refractarios Asianos à Victore latam fuisse excommunicationis sententiam post Socratem affirmant Baronius *Annal.* ad A. C. 198. Petrus de Marca, Bellarminus, Pagius ad A. C. 196. quo arbitro, non potuit Eusebius Clarius loqui, ut ostenderet reverà latam fuisse sententiam.

Idem censet Emanuel Schelstrate *Antiq. Illust.* part. 2. *Dissert.* 1. cap. 3. num. 36. hanc sententiam Authorum vocans communio-riorem, quam recenter defendit Petrus Fay-

ditius in *Apologetico.* Sic autem, juxta versionem Valeianam, scribit Eusebius. *Victor à communione (Asianos) abscindere conatur: datisque literis universos, qui illi erant, fratres proscribit, & ab unitate Ecclesiæ prorsus alienos esse pronuntiat.* In quibus verbis duo evidentissimè patent. Primum, quod Papa illud quod ante minatus fuerat contra pertinaces executioni mandaverit: quod & libellus Synodicus, qui extat *Collect. Max. Concilior.* perhibet hujus tenoris. *Victor autem Romanorum sanctissimus Papa excommunicationem mittit Polycratis, qui huic præerat Synodo.* Patet secundum, quod illa Excommunicatio non tantum fuerit FACTI, quasi Victor semet ab Asianis absciderit, quod quilibet Episcopus facere potuit, & aliquando quidam fecerunt: sed etiam JURIS, cum non se ab eis; sed illos absciderit ab unitate Ecclesiæ, scilicet Romano-Catholicæ, eosque prorsus alienos authoritativè pronuntiaverit. Vanum est ergo illud Frider. Spanheimii in sua *Hist. Christian.* senl. 2. cap. 12. interpretamentum citatæ periodi Eusebianæ de Excommunicatione FACTI.

Dundaxat. Secundum editionem Draei Irenæus. *Victorem tamen de hoc, videlicet ne tam multas Ecclesias omnino propter traditionis ex antiqua consuetudine inter illas usurpata observationem à corpore. NB. universa Ecclesia Christi penitus amputet, cum pleraque alia; tum ista, quæ sequuntur, appropinquet & convenienter admonet.* Eadem in translatione per Christophorsonum Eusebio legitur. Consonat planè Socrates *Lib. 5. cap. 21.* *Victor, Romana Urbis Episcopus, iracundia succensus astu, Quarta decimanis, qui in Asia erant, excommunicationis Libellum misit.* Huc quoque facit Nicephorus Calixtus, qui Eusebii mentem rectè affectus est, & *lib. 4. cap. 33.* hæc recenset. *Victor subito literas conscripsit, quibus illos publicè notabat, omnesque simul à Communione prohibebat.*

*hibebat.* Obfirmato proinde oportet esse animo, qui apertis oculis hic videre renuit; scilicet Irenæum hoc Victori voluisse persuadere ne actum jurisdictionis in Asianos exerceat, quam ipsi competere nullus dubitabat, dubiumque movisset, si certam non supposuisset. Rem exponit Nicolaus I. P. R. *Epist. 9. ad Michaelem Imp.* scribens. *Deinde cum Asianos omnes, inter ceteros, Joanne Evangelista Authore, quartâ decimâ Lunâ cum Judæis putarent Pascha celebrandum, hos Præfulmeritis & nomine Victor à communione Collegii separavit.* Sed spreverunt, urget Spanheimius, Asiani, seu Orientales factum Victoris; nihilominus inter se & cum aliis, etiam dissentientibus in hac causa, communicantes.

Quid tunc? Nulli produci possunt, qui Victoris sententiam ex defectu jurisdictionis irritam dixerunt; nulli, qui Pontificem limites suæ potestatis excessisse, aut judicasse non subditos contenderunt. Convenerunt & communicarunt invicem; non ex despectu autoritatis, sed amore fraternitatis; quod Spanheimius, anticipatis opinionibus plerumque laborans, ex Sozomeno, à se citato, videre potuisset; si voluisset. Sic enim *Lib. 7. cap. 19.* legisset. *Ex communi consilio placuit, ut singuli Festum, prout consueverant, celebrantes à mutua inter se communione nequaquam discederent.* Præmiserat autem, quod Victor tunc temporis Romanus Pontifex, & Polycarpus hanc Controversiam sapientissimè dissolverint: quam loco *Polycarpi* debeat *Polycrates* substitui, ut observat P. de Marca, quia ante Victoris Pontificatum Polycarpus martyrium consummavit annis minimum viginti. Neque audiendi sunt, qui contendunt nomen Polycarpi retinendum, & Victori Anicetum substituendum: quia, teste Irenæo, nulla fuit inter Anicetum & Polycarpum Controversia de celebrando Paschate. Sic enim legitur apud Eusebium. *Et cum B. Polycarpus*

*Aniceti temporibus Romam venisset: atque inter illos de quibusdam aliis rebus modica esset Controversia, statim mutuo, pacis osculo se complexi sunt, de hoc capite non magnopere inter se contententes &c.* Falsum proinde est, quod, ut Author *Annal. Polit. Ecclesiast. ad an. C. 188. num. 13.* opinatur; secus in falsum incideret Sozomenus scribens *Decreto communi singuli, ut consueverant, Festum agentes à mutua communione non recesserunt.* Quasi illa de Victore, qui ab Asianorum communione recesserat exprimi non possint. Hæc siquidem de eodem commodissimè intelliguntur; quando monita Irenæi apud Victorem tanti valuerunt; ut suspenso excommunicationis effectu de celebrando Paschatis die, de quo Anicetus & Polycarpus non magnopere contenderant, communi consilio statuerunt, ut singuli sicut consueverant, non verò omnes simul Festum agerent, quemadmodum in mutua communione manentes deinceps egerunt, quoad usque in Generali Concilio Nicæno *Communi omnium sententia decretum est, eam festivitatem uno eodemque die ab omnibus ubique celebrari oportere.*

Neque illud obstat, quo minus Victor fulmen excommunicationis in Asianos vibraverit, quod hi & Polycrates MOX in gratiam rediisse dicantur cum Pontifice. Quam enim veri umbram obtinebit, quod ii; si, ut præfertur, paulò ante Pontificis hujus auctoritatem aspernati fuissent, sint reconciliati, nisi postquam eandem submisit agnovissent. Si Victor de sua, in successorum manifestum præjudicium, remisisset auctoritate, quod factum alicui fortè in mentem veniret; non sapientissimè sed imprudentissimè Controversiam dissolvisset. Vid. Sozomenns *loc. cit.*

Rectius multòque convenientius ex eodem Historico deducit illustrissimus de Marca *Lib. 3. cap. 9.* scribens. *De inita concordia, licet probent Novatici non rejectos Asianos*

à Communionem Orientalium post Victoris censuram, hoc de dignitate Sedis Apostolica nihil demit. Cum ad Irenaei suggestionem, pacem redditam à Victore docuerimus. Ex Eusebio enim & Socrate constat de Excommunicatione à Victore infligta & de Irenaei Epistola. Ex Sozomeno autem de Communionem Victoris & Polycratis non interrupta; quod aliter contingere non potuit, nisi suspensio à Victore Excommunicationis effectu post mortem Irenaei.

Unde pariter diluuntur, quae superius pro opinione negativa reperuntur consignata. Quando Eusebius prohibet Victorem fuisse conatum Asianos excommunicare, prudenter credi nequit, ipsum post acceptam Polycratis Epistolam, in qua profitetur, se nihil moveri iis, quae sibi suisque intentantur, non vibrasse Excommunicationis fulmen in Ecclesias, quae, ut Hieronymus observat, Victori non dederunt manus, sed monitis minisque suis tam aperte & animosè obstitabant. Illud proinde, quod in Eusebio habetur. *Conatus fuit, tentavit.* Intellegendum quod reverà tentaverit, alios Episcopos ut similiter facerent, & Orientales abs se penitus rescinderent; quod Eusebii verba manifestè indicant. *In eos per literas graviter invehitur: atque adeo omnes fratres eam incolentes regionem prorsus à Communionem secludendos edicit.* Hieronymum ab Eusebio in diversa abiisse, nulla ratio persuadet; à quo cum Victor referatur, quod credidisset damnandos Asianos, quos refractarios experiebatur, utique damnavit, qui minus haud territi in concepta sententia, & animi proposito inflexibiles perseveraverunt. Photii scripto, si quid praesidii insit, illud est, quo indicat Irenaeum monuisse Victorem, ne praeter abdicatos ab Ecclesia ob Paschatis celebrandi disensionem alios insuper abdicare pergat. Neque aliud ex ejusdem Irenaei Epistola erui potest, quam quod Sanctus hic Praesul, juxta nominis sui appellationem, pa-

cus studiosus, apud Pontificem operam suam locaverit, ut Excommunicatio in Asianos lata, sublevaretur. Factum non negat: sed facti abbreviationem sedulo molitus fecerit, terque assecutus fuit; quanquam in quorundam opinione non nisi post illius mortem Excommunicationis effectus fuerit suspensus. Et licet Bellarminus illud nusquam legi potest, equidem apud citatum Sozomenum extra Firmilianus hac in parte exiguae est auctoritatis, qui à modernis postulatur falsi in eo, quod S. Cyprianum à Stephano excommunicatum in eadem Epistola citata referat. Quidni illius relatio in suspicionem veniat eo, quod suae quovis modo arbitratur favor sentiendi libertati?

Objicitur passim quod illa mox secuta censurae latae suspensio Victori videatur probrosa, quasi sine sufficiente causa, ob mortem Adiaphorum tot Ecclesias à Communionem fidelium praeproperè abscidisset; et quod ab Irenaeo acriter reprehensus obrepuganti paruerit. Verum factum egregie propugnat doctissimus Ludovicus Thomassinus *Dissert. 1. ad Concil. Gener.* cujus quidem in Historia Ecclesiastica versatissimi Scripta sine stupore ob diversas materias, testimonia ac cumulata, nemo, judice Du Pin, leger; etiam nec Gallis omnino placent, nec Italiae satisfaciunt, quibus fluxam gerunt fidem. Sunt & alii, qui Victorem Papam prudentissimè (quidquid visum fuerit Irenaeo) egisse sustinent, quod Asianos, non quidem propter observantiam, sed pertinaciam excommunicaverit. Neque minus prudenter egissent censent, quando ad aliorum Episcoporum instantiam, amore pacis conservandae, Excommunicationis effectum suspendit; cum intellexisset, quod Polycrates aliarum Ecclesiarum morem, suo contrarium, damnare intermitteret, nec Legalium observantiam vellet inducere quemadmodum Blastus haereticus, de quo supra. Displicuit quidem in Victore rigidus ille & severus contra Asianos pro-

procedendi modus quibusdam Episcopis, & Pontificem magnopere adhortati sunt, ut in Spiritu mansuetudinis in dissidentes ageret; ne pax & animorum læderetur concordia: sed in eo quod Pontificem objurgaverint acerbis verbis, quæ adhuc extare Eusebius *loc. cit.* memorat, nimis hic exaggeranter locutus fuit, Schellstratio arbitro ubi supra; ibique Cardinalem Perronium, observantem, quod nullum in literis Irenæi verbum acerbum reperitur, adducit. Quippe in debita submissione exponit, cur Asiæ in observantia antiqui moris sint permittendi. Et quantumvis etiam concederetur, quod Irenæus, aliive Episcopi, Victorem objurgassent, atque asperius convenissent: nequaquam inde deducitur, quod Polycratis errorem approbaverint: siquidem correctionis modum, qui ipsis nimis austerus videbatur, duntaxat improbaverunt. Neque dum sanctus Hieronymus Polycratis iudicium, auctoritatem ac existimationem refert, & non improbat, hoc ipso factum illius approbat, ut Joanni Launoy venit in mentem. Jam enim ex decreto Oecumenici Concilii Nicæni liquidò constabat, Victorem rectè sensisse, Polycratem verò errasse. Et vigore hujus decreti Quartodecimani sunt deinde hæretici habiti.

Cæterum de ipsa institutione Paschatis, Dominicæ, quæ excipit æquinoctium vernalis, celebrandi, an ab Apostolis manaverit, in Lycæo Critico ventilatur; affirmantibus Baronio, Nat. Alexandro cum plerisque aliis, quorum assertio nobilissimorum nritur testimoniis Authorum veterum, Eusebii H. E. *Lib. 5. cap. 23. & 25.* Augustini *Epistola 118.* Sozomeni *Lib. 7. cap. 19.* Cyrilli Alexandrini, qui in *Menolog. Græc.* Patrum Coriphæus vocatur in *Prolog. de Cycl. Pasch.* Refert etiam Socrates *Lib. 1. cap. 10.* quod interroganti Constantino Magno Num Acesius Episcopus Novatianus, homo turbulentus definitioni de celebrando, Dominica die, Festo Paschatis, ipse responderit, Nihil novi à Pa-

tribus Concilii definitum fuisse, quod ab ipsis temporibus Apostolorum provenisset. Abnutiva tamen quorundam modernorum nec auctoritate nec ratione destituitur sententia. Præterquam enim quod Scriptorum nullus Eusebio antiquior, hujus aut Festi, aut institutionis, ex Apostolica traditione celebrandi, meminerit, Socrates, licet tanquam homo Novatianus exiguo apud Baronium sit loco, *Lib. 5. cap. 22.* apertè hanc inficiatur traditionem: & cum Polycarpus obtendat suam disciplinam, deinde à Concilio abrogatam, ab Apostolo Joanne provenisse, & à Romanis observata pro Apostolica pariter habeatur; non una erit, quæ tamen est nota genuina traditionis Apostolicæ, Apostolorum institutio. Anicetus Rom. Pontifex certè morem suum non vindicavit Apostolis: sed Presbyteris, qui ante ipsum fuerunt, ut est apud Irenæum in sæpè citata Epistola, ad Victorem. Interim quia est extra ambiguum, quod solemnitas Paschalis sit accensenda institutis, quibus, teste Hieronymo *Epist. 28.* antiqui titulum legis Apostolicæ tribuere solebant, Pascha Dominica die celebrandum, Apostolicæ traditioni non incongruenter tribuendum videtur. Nihilominus in hujusmodi opinionum varietate, qua quisquis suam tuctur, eamque aliis etiam persuasam esse cupit, observetur illud, quod Pausanias *Lib. 9.* sapienter monet.

*Neque ad assentiendum proclivior quisquam esse debet: neque se omnino incredulum ad ea, quæ sunt incerta, præbere.*